

votivis supplicationibus inclinati, dotem — appropriationem et ordinationem cum omnibus et singulis clausulis et articulis in privilegiata littera dicti domini nostri marchionis expressis ratas et gratas habentes approbavimus — et in dei nomine confirmamus, decernentes eosdem census ecclesiasticos et foro ecclesiastico in antea subiacere debere, et per rectorem altaris praedicti perpetuo percipi et levari debere pacifice et quiete, eosdem census et redditus ab omni utilitate dominio et iure temporali eiusdem domini nostri marchionis, heredum et successorum suorum eximentes iuris ecclesiastici subsidio fulcimus et libertatis ecclesiasticae privilegio communimus, invasores et distractores prohibitores seu alienatores earundem tamquam sacrilegos a canone puniendos fore, praemissis omnibus auctoritatem nostram ordinariam cum adiectione poenarum et sententiarum a canone promulgatarum interponentes et consensum. In quorum omnium evidens testimonium et evidentiam clariorem sigillum nostrum maius praesentibus est appensum. Datum et actum in castro episcopali Stolpen anno domini millesimo quadringentesimo primo, die quinta mensis Octobris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem grossen Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 759. 1401. 11. Nov.

*Die Aebte von Dobrilugk, Altzelle und Buch und deren Convente einigen sich mit B. Thimo und dem Capitel wegen der dem Bischof jährlich einmal in ihren Klöstern zu gewährenden Verpflegung zu Zahlung einer Ablösungssumme von 1120 Goldgülden.*

Nos fratres Luppoldus in Dabrilug, Franciscus in Vetericella et Michael in Buch monasteriorum sanctae Mariae abbates ordinis Cisterciensis Misnensis diocesis omnibus et singulis praesentibus et futuris volumus esse notum, quod ex matura deliberatione, unanimi consensu, nostrorum quoque conventuum accedente voluntate cum reverendo in Christo patre ac domino nostro domino Thimone ecclesiae Misnensis episcopo ex certis iustis et rationabilibus causis, prout in eiusdem domini nostri episcopi litteris de et super infrascripto contractu confectis plenius continetur, de honorabilium virorum dominorum Johannis decani, Ramfoldi de Palenczk senioris, Francisci Kongisbrucke praepositi Wurzinensis, Andreae Grawe cantoris ecclesiae Misnensis, Johannis de Palenczk, Nicolai Czigelers totiusque capituli ecclesiae Misnensis voluntate et expresso consensu de et super procuratione, quam nos et praedecessores nostri singulis annis tempore quadragesimali eidem domino nostro episcopo et praedecessoribus suis nostris in monasteriis in victualibus et pabulis equorum ministravimus et ministrare solebamus, convenimus et iusto emptionis et revenditionis titulo in hunc modum infra scriptum: Videlicet quod nos . . abbates praescripti ac . . conventus nostri nomine monasteriorum nostrorum dedimus et persolvimus integraliter et complete praefato domino episcopo mille et centum ac viginti florenos Vngaricos puri auri nunc currentes bonos et dativos, quos ipse dominus . . episcopus a nobis solutos percepit et sublevavit pro dicta procuratione sua suorumque successorum, tali tamen conditione, quod saepedictus dominus . . episcopus seu successores sui infra triennium praedictam procurationem redimere seu liberare non debeant neque possint